IN FUNERE JACOBI 3. MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS ORATIO HABITA IN INSIGNI BASILICA S. MARIÆ...

Angelo Fabroni

Digitized by Google

IN FUNERE
JACOBI III.
MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS
ORATIO
HABITA IN INSIGNI BASILICA
S. MARIÆ TRANS TYBERIM

AB ANGELO FABRONIO

PATRITIO PISTORIENSI ET EJUSDEM BASILICÆ CANONICO.



ROMÆ MDCCLXVI.

TYPIS FRANCISCI BIZZARRINI KOMAREK

PROVISORIS LIBRORUM BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

HENRICO
DUCI EBORACENSI
S. R. E. CARDINALI
ET EPISCOPO TUSCULANO.

CANONICI BASILICÆ S. MARIÆ
TRANS TYBERIM.

OMnes, qui plane in hac Urbe peregrini non ſint, probe noſcunt quot & quam magna in nos contuleris beneficia, CAR-

Digitized by Google

DINALIS CELSISSIME; nec Tu quoque ignoras quanta in nobis inſit deſiderii vis, ut quam gratiſſimi erga Te cognoſcamur. Hujus teſtificandæ voluntatis occaſionem fortaſſe dedit, quanquam cum acerbiſſimo animi noſtri ſenſu & dolore conjunctam, mors JACOBI III. Magnæ Britanniæ Regis cariſſimi Patris Tui. Ex quo enim die is e vivis ereptus eſt, non intermiſimus preces adhibere, ac ſacra facere D. O. M. pro illius ſalute; neque hoc contenti ſolemnes quoque exequias Ei perſolvendas duximus. Orationem, quæ in his exequiis habita eſt, Tuo nomini inſcriptam ac dicatam emittimus, CARDINALIS AMPLISSIME,

Digitized by Google

SIME, ut hoc quoque teſtimonium ſit grati animi, & ſingularis obſervantiæ erga Te noſtræ. Parvum munus fatemur: ſed ſi ex animi, a quo proficiſcitur, magnitudine pro Tua clementia metieris, libentiſſime Te illud accepturum eſſe confidimus. Homines profecto in eo magnopere nos commendabunt, quod noluerimus carere luce Orationem, quæ laudes continet optimi ac ſanctiſſimi Regis, cujus virtutum recordatio utilis ſemper & jucunda erit; quodque eam Tibi conſecraverimus, qui illius religioſiſſimos mores mirabiliter exprimis. Optaſſet quidem ejuſdem Orationis Auctor in Tuas

Digitized by Google

laudes excurrens Te vivum & ſpirans non tam corporis, quam virtutum JACOBI III. ſimulacrum Auditoribus ſuis exhibere, quo facilius eos afflictos mœrenteſque ſublevaret. Sed id a modeſtia Tua, quæ de virtutibus Tuis plurimis fortaſſe maxime admirabilis eſt, impetrare non potuit. Deus non ſolum noſtro, ſed communi Eccleſiæ bono diu te incolumem conſervet.

ORA-

Digitized by Google



ORATIO.

DEbebatur immortalibus in nos meritis ac beneficiis præſtantiſſimi Cardinalis HENRICI DUCIS EBORACENSIS, ut in ſummo ejus dolore, quem ex morte JACOBI III. MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS cariſſimi Patris ſuſcepit, nos quoque doleremus, utque hujus defuncti memoriam exequiis, pompa, laudatione proſeque-

Digitized by Google

remur, quo ſi minus idonei, ſaltem pii atque memores ad referendam gratiam haberemur. Sed vereor ne ſicuti in omnibus veſtris factis & conſiliis laudabiles ſemper fuiſtis, Collegæ optimi, veſtrum de me factum & conſilium non æque laudetur. Placuit enim vobis onus mihi imponere, ut has Regias exequias oratione honeſtarem; qua in re non ſatis intellexiſtis, quam in me ſit exiguum ingenium, quam mediocris exercitatio dicendi, ut pro dignitate illius hominis laudes perſequi poſſim, qui omni laudum genere floruit, quique Chriſtianis virtutibus adeo excelluit, ut ejus vitæ innocentiam ſanctitatemque omnium ſæculorum fama ſit celebratura. Fugerit hoc vos, me certe non fugit. Non propterea tamen quod ego plus oneris ſuſtulerim, quam me ferre poſſe intelligam, in arrogantiæ crimen vocabor. Etenim illud non obeundi fiducia, ſed pudore recuſandi ſuſcepi, cum mea recuſatio non difficultatis excuſationem, ſed inertiæ videri poſſet deprecationem habere. Itaque rem aggrediar ſane magnam atque arduam, in qua illa me cogitatio non parum recreat, quod etſi anguſtia temporis, & copia rerum coactus multa memoratu digniſſima ſilentio prætersam, & ea ipſa quæ attigero jejunius multo atque exilius quam pro illorum præſtantia percurram, nihil tamen de ſumma Jacobi III. gloria apud vos, Auditores, minuetur, quoniam apud eos verba facio, quos

Deus

Digitized by Google

Deus ſingulari beneficio conſtituit eſſe teſtes & ſpectatores vitæ illius, unde quilibet omnium exempla virtutum abunde capere poſſet. In ejus vero laudibus recenſendis ex immenſo illarum campo eas potiſſimum ſeligam, quas ipſe in rebus humanis ſolas commendandas ducebat, quæque temporis, ac loci, in quo ſumus, dignitati atque amplitudini conveniant. Non exſpectate igitur a me, Auditores, ut in medium proferam ſingularem Familiæ, ex qua natus eſt, antiquitatem, nobilitatemque, non ut prædicem juſtiſſimum dominatum, quem longa annorum ſerie hæc eadem Familia habuit in Scotiæ, Britanniæ, atque Hiberniæ regna, non denique ut vobis ante oculos ponam multorum Regum Principumque imagines, qui egregiis & glorioſis factis illam illuſtrarunt. Laudentur hæc in concione multitudinis imperitæ, non vero in hoc Religionis ſacrario, celebrentur de iis, qui alienis laudibus indigent, non vero de Chriſtiano Principe, qui propriis abundat, quique nihil glorioſum duxit niſi quod in virtute conſiſteret. Noſtra itaque oratio nil niſi ſanctum, auguſtum, ac religioſum redolebit, ſicque fiet profecto, ut digna ſit hoc loco, digna tempore, digna veſtris auribus, Auditores religioſiſſimi.

Nulla unquam obruet vetuſtas, nulla unquam delebit oblivio fugam illam calamitoſiſſimam Britannicis Regnis, luctuoſam Chriſtianæ

Rei-

Digitized by Google

Reipublicæ, glorioſam Stuardio nomini, cui ſe dare Jacobum II. coegit inimicorum potentia, quos in ſe Catholicæ Religionis ſtudium concitaverat. Eo Patre ſe genitum, qui negligendam Regni fortunam putavit, ut quam profitebatur Catholicam Fidem ſalvam & incolumem non modo in ſe ipſo ſervaret, ſed etiam, quantum fieri poterat, in ſubjectas ſibi regiones ſpargeret ac diſſeminaret, jure optimo gloriabatur JACOBUS REX. Memoria vero repetens ſe ejuſdem calamitatis periculorumque ſocium in tenerrima ætate fuiſſe, cum eo & matre lectiſſima fœmina Maria Eſtenſi ad Ludovicum XIV. Galliarum Regem profugiſſe, merito id omnibus triumphis victoriiſque anteferebat. Quid enim habet veræ laudis ac ſolidæ laurea redimitum vehi per urbem, quid clamor militum, quid populi plauſus, quid hoſtium ſpolia, quid tota illa militaris pompa? Sunt hæc quidem magna in opinione vulgi, ſed exiſtimatione ſapientum aut deridentur aut contemnuntur, non ſic humanarum rerum alta quædam deſpectio, quæ homines ſupra homines extollit, Deoque ſimiles reddit. Non poterat hæc ignorare JACOBUS, qui cum ipſo propemodum lacte nutricis puriora ſuxit Chriſtianæ documenta vitæ. Obverſabatur illi ante oculos inſignis Parentum pietas, quos tanquam de cælo lapſos omnes intuebantur, quique tota mente in eam curam incubuerant, ut Filium non tam jurium in paterna

atque

Digitized by Google

atque avita regna, quam propriarum virtutum heredem facerent. Equidem non poſſum ſine lacrymis recordari Jacobum II. in lecto jacentem ac moribundum, deficientibus jam ac prope ſemivivis vocibus filium alloquentem: „ Videre ſe magis
„ magiſque regna, fortunas, ceteraſque res, quas
„ homines in primis admirantur, plenas eſſe in-
„ conſtantiæ, ſummæque levitatis; quapropter
„ monere ſe illum, ut nihil antiquius haberet laude
„ & gloria illa, quæ ex recte factis proficiſcitur;
„ meritamque Deo immortali gratiam juſtis ho-
„ noribus, & memori mente perſolveret, quod
„ eum voluerit eſſe in ſinu gremioque Catholicæ
„ Religionis, pro qua omnia, quæ univerſus hic
„ mundus complectitur, nihili facienda eſſe, ac
„ vitam etiam, ſi opus eſſet, libentiſſime profun-
„ dendam „. O vocem cæleſtis ſapientiæ plenam! o dictum, ut iiſdem verbis utar, quibus olim S. Leo Theodoſio eſt gratulatus „ quod animum non regium tantum, ſed ſacerdotalem plane demonſtrat „! Vos quidem, Auditores, facile mente fingere poteritis luctum, lacrymas, ſquallorem Filii piiſſimi ex interitu Patris, unde præclara innocentiæ, juſtitiæ, fortitudinis, humanitatis, modeſtiæ ac prudentiæ exempla quotidie petebat. Nolite tamen exiſtimare adeo illum fuiſſe mœrore afflictum & profligatum, ut etiam in tenera ætate non apparerent conſtantis ac fortis animi ſigna. Hæc enim virtus naſcentem excepit, adul-

tum

Digitized by Google

tum confirmavit, ſenem ſuſtentavit. Flebat adhuc Jacobus Patris optimi mortem, quam nemo bonorum æquo animo ferre potuit, cum audiit ſumpta arma a Britannis & Batavis adverſus Ludovicum XIV., quod honorificentiſſimis decretis ab illo Britanniæ Regis nomine fuerat appellatus. Movebatur quidem animo adoleſcens Gallorum imperio amiciſſimus, & de illorum ſalute extimeſcebat, in qua etiam ſuam incluſam eſſe videbat. Sed vicit timorem, quam in divino Numine habebat fiducia, qua erectus nihil ſe putavit anxium & ſollicitum eſſe debere de conſpiratione & concordia Senatus Londinenſis ad defendendos adverſarios ſuos, nihil de iniquiſſimis edictis, quibus omnis ſpes adimebatur iis, qui eſſent Catholica Religione imbuti, ſuccedendi in Britanniæ regnum, nihil de execrando decreto, quo a majeſtatis reis in majeſtatis crimen vocabatur, nihil de obſtructa ſeveriſſimis legibus via ad recipienda e Britannia pecuniæ ſubſidia. Bellum igitur exarſit, idque ſuſcipere non dubitavit Ludovicus cum propter alias cauſſas, tum maxime quia Jacobi honori fortuniſque favebat propter Catholicæ Religionis bonum, propter hoſpitium ac propinquam cognationem, quod ejus ingenio ac virtutibus mirifice delectabatur, quodque fortunas adoleſcentis propinqui exiſtimabat etiam ad aliquem ſuum fructum redundare. Suſcepto bello, geſto etiam magna ex parte, hujus rationibus

expe-

Digitized by Google

expedire putavit Ludovicus, ſi JACOBUS cum claſſe acceſſiſſet ad Britannica regna, in quibus ille habebat multos ſtudioſos & fautores ſui. Sed moderator rerum Deus, cujus ſunt abſtruſa atque recondita conſilia, quique non ſuo ſemper numine atque auxilio juvat, quæ homines eſſe putant pulcherrima rectiſſimaque facinora, non per victorias ac trophæa, ſed per ærumnas ac pericula JACOBO aditum ad gloriam patefaciebat. Itaque, appulſa claſſe Dunkerkam, ille in morbum incidit, ex quo morbo ſex dies iter, cujus in celeritate ſpes omnis conſiſtere videbatur, retardatum eſt. Ad hoc tantum malum acceſſit, quod adverſis ventis uſa eſt claſſis, tardeque & incommode navigavit; itaque, magnis in trepidatione coactis copiis, facile Britanni conſiliis Gallorum occurrere & obſiſtere potuerunt. Fuerit hoc infelicitatis JACOBI Regis. Ego vero ſatis illud mirari non poſſum, quod eo tempore, quo omnes boni ejus vicem dolentes commovebantur, ipſe invicto & conſtantiſſimo animo permanebat immotus. Miſeris hiſce JACOBI temporibus meliora ſucceſſura eſſe magnam in ſpem homines venerant, ex quo ſoror illius Anna, quæ ad gubernacula Britannici imperii poſt mortem Guilelmi Arauſionenſis ſedebat, conſilia inire cœpit de illo in patriis ſedibus, & avito regno collocando. Sed o falaces hominum ſpes, atque inanes cogitationes! Nam huic voluntati

mul-

Digitized by Google

multæ & magnæ obſtiterunt difficultates, ad quas removendas dum toto pectore incumbebat Anna, graviſſimo morbo correpta mortem obivit in hac querela, ac vociferatione: „ eheu miſer frater, eheu „ miſerrime frater, qui patria, fortunis, & regno „ ſpoliaris „. Sed illam miſeram, quam nulla commiſeratio ſui tangebat, & quam mentis cæcitas videre non ſinebat, beatum illum eſſe, cui eximiæ virtutes tutiſſimam in cælum viam ſternebant. Cujus vero animi, Auditores, illum fuiſſe exiſtimare debemus, qui hæc patientiſſime tulit, quem regale diadema, ac Sororis preces ne minimum quidem commovere potuerunt ad deſerendam, quam pure & ſancte ſemper ſervavit, Religionem, quique adeo averſatus ac deteſtatus eſt hujuſmodi conſilia, ut malle ſe diceret non ſolum omnes fortunas, ſed etiam vitam, & ſiquid vita eſt carius amittere, quam a recta Religionis ſemita abduci. Pro quo ſuo ſingulari in illam ſtudio, hoc mihi videor poſſe affirmare, JACOBUM in quo regno nihil valerent ſacrorum jura, nihil ponderis haberet graviſſima Pont. Max. auctoritas, immoderata eſſet voluptatum licentia, nulla ad has comprimendas poteſtas, non pietas ac ſanctitas, falſæ opiniones erroreſque libere vagarentur, vix ullum eſſe regnum putaſſe. Itaque dubitare non poſſum, quin ſi incœpta proſpere ſucceſſiſſent, Catholicam Religionem ſecum ipſe in Britannica regna reduxiſſet. Quid vero ea, quæ conſecuta

ſunt?

Digitized by Google

ſunt? Nonne mirificam ac ſingularem ejus conſtantiam declarant? Mortua Anna, factum eſt ut permulti e Britannis, & ex Scotis maxime, qui oblatam JACOBO occaſionem exiſtimabant recuperandi quod ſuum erat, ad illius partes tranſierint, ad illum cogitationes omnes converterint ſuas, illumque ad ſe magnis precibus ac promiſſis invitaverint. Optandum quidem erat, ut hoc tempore liberum fuiſſet judicium JACOBI, nec dilata res eſſet in annum ſequentem. Cum diutius Scoti ferre illius deſiderium non poſſent, a Georgio Brenſvikio, qui in locum Annæ ſucceſſerat, ferrum illis licet, ignem, cædem, direptionem, proſcriptionem, vaſtitatem, ſi quicquam molirentur, minitante deſciverunt, JACOBO Stuardio, qui tandem ad eos venit per devia, infeſta, obſitaque nivibus itinera, regnum, ſeque ipſos reſtituerunt. Sed vix ille, o acerbam tanti viri ſortem atque miſeram! ad aliquam aſpiciendam lucem vocatus eſſe videbatur, vix emergere auctoritatem dignitatemque ſuam e vi tempeſtatum, vix reviviſcere dominatum Stuardiæ Familiæ vidit, cum repente tanta rerum adverſarum oppreſſus atque obrutus eſt mole, ut Regnum, quod majores ſui tot ſæcula juſte & legitime poſſederant, derelinquere, & iterum alienis opibus vitam ducere in alieno ſolo coactus fuerit. Atque utinam id quiete & tranquille potuiſſet, nec diu errare debuiſſet, antequam locum tutum inveniret,

Digitized by Google

ret, in quo pacatis fluctibus uteretur. Quid vos ad hæc, Auditores? Quid cogitatis? An arbitramini, his quoque acceptis plagis & incommodis, fortiſſimum virum unquam animum contraxiſſe, aut a ſe ipſo diſceſſiſſe? Immo majori ſemper conſtantia, majori animi magnitudine contra adverſos caſus ſeſe erexit atque armavit, ut ſi more illo ethnico loqui liceret, non dubitarem affirmare multo minus ei fortunam de ejus dignitate, quam eum fortunæ de ipſius jure detraxiſſe. Dicant Pituverii, aliarumque Lotharingiæ civitatum incolæ, qui illum hoſpitio, urbe, benevolentiaque juverunt, an ullum unquam debilitatæ virtutis, aut fracti animi ſignum oſtenderit? Dicant Avenionenſes, Piſaurenſes, Urbinates, apud quos errans diverſatus eſt, an ſuſpicari unquam potuerint illum adverſæ, vel ſaltem minimo temporis momento, ſuccubuiſſe fortunæ? Sed quid exteros ac longinquos commemoro? Vos, vos, Auditores, appello, qui toties fuiſtis teſtes & laudatores ſingularis illius conſtantiæ, & fortitudinis. An obliti eſtis illum animo æquiſſimo redeuntem ad vos poſt infeliciter in Scotia tentatam belli fortunam ab Hiſpanis, ut eum in dignitatem vindicarent? Bone Deus, quanta huic facinori obſtiterunt mala! Venti, tempeſtates, morbus, quo graviter in itinere conflictatus eſt JACOBUS, proditiones arcanorum, aliaque multa, quæ vos

qui-

quidem pro veſtro in illum ſtudio benevolentiaque vehementer doluiſtis, nec ſolatio alio in dolore veſtro levari videbamini niſi ea cogitatione, non tam glorioſum eſſe JACOBO regnare, quam regno omnibus regiis virtutibus dignum ſe præſtitiſſe. An ignoratis, quam ſui ſimilis fuerit in perferenda cariſſimæ Uxoris morte? cujus fœminæ! quanta virtute præſtantis! Solitus quidem is erat dicere in ſumma illa rerum fortunarumque ſuarum jactura, triſtiſſimiſque temporibus, permagnum ſe a Deo accepiſſe beneficium, ac ſolatium, quod ea illi uxor obtigiſſet, quæ præclarum eſſet innocentiæ, pietatis, omniumque virtutum exemplar. Quod JACOBI teſtimonium omnes quoque homines teſtimonio ſuo comprobaſſe puto, cum nulla fuerit regio, quo non tantæ mulieris fama pervaſerit. Vos vero qui præſentem illam intuebamini, ejuſque mentem, ſenſus, atque os propius cernebatis, quibus ſtudiis proſequebamini, quibus efferebatis laudibus? non vos eam cum ſummis fœminis, quæ in terris viverent, comparabatis, ſed ſimillimam uni ex beatis illis cælorum incolis dicebatis; neque eſſe ullam mentem, aut cogitationem, quæ ejus laudum magnitudinem capere poſſet. Ex quo profecto intelligi poteſt quanta in amiſſo beneficio fuerit jactura, cum in accepto tanta fuerit utilitas. Fuit ille igitur ærumnoſus, cui mors eripuit illud bonum, quo uno

Digitized by Google

caſus ſuos ſolari, ac ſuſtentare poſſe videbatur. Sed vos optimi teſtes eſtis potuiſſe quidem grave iſtud infortunium pectus JACOBI effodere, non vero ejus animi magnitudinem inflectere. Vix ille debitis lacrymis funus uxoris cohoneſtaverat, vix ſatisfecerat extremis officiis in illam, cum qua amantiſſime vixerat, cum abſtrahi debuit a majori natu Filio, in cujus aſpectu ac colloquio acquieſcebat, cum quo cogitationes & conſilia ſua communicabat, & in quo maximum poſteritati ſuæ præſidium collocarat. Vos quoque optime noſtis quantam hoc tempore conſtantiam præ ſe tulerit, & quam forti ac magno animo ejus abſentiam, pericula, atque ærumnas toleravit. Quem veſtrum latet neque acerbitate, neque diuturnitate morborum potuiſſe unquam de gradu dejici, neque ullam unquam vocem parum ſe dignam emiſiſſe? Multa prætereo, Auditores, & quia celebrata omnium vocibus, & quia mihi orationis non tam copia, quam modus quærendus eſt. Satis tamen multa dixiſſe arbitror, ex quibus facile cognoſci poſſit nihil tam proprium & tam diuturnum in vita JACOBO fuiſſe, quam dolores & ærumnæ fuerunt. Verum itane hujus optimi ſanctiſſimique Regis ſumma probitas, pudor, æqui & boni obſervantia, innocentia, fides, ſummum denique illud erga te, Deus immortalis, obſequium, cultus, pietaſque meruerunt,

runt,

Digitized by Google

runt, ut omnium ærumnoſiſſimus & eſſet, & haberetur? Si adverſus te, non pro fide & religione tua tam multa & geſſiſſet & paſſus eſſet, nihil magis fuiſſet afflictus, atque perculſus. Hac ergo ſpe jubes eſſe cultores tui? Hæc ſunt præmia juſtitiæ? Hi ſunt laborum fructus? Quieſcant aliquando hujuſmodi voces, quas piiſſimæ veſtræ aures cum indignatione reſpuunt, quarumque ſono parietes iſti commoveri mihi videntur. Longiſſime ab his quidem abhorrebant voces JACOBI, cui valde ſolebat eſſe in ore, „ ſe Deo gratias agere, quod patientiam ſuam „ in multis variiſque caſibus exercuerit; il„ lum omnia regere arbitratu ſuo, nihilque age„ re niſi juſte ac ſapienter, proptereaque ſummæ „ ſtultitiæ eſſe illius voluntati repugnare: omnia „ in rebus humanis falſa, incerta, caduca, mo„ bilia eſſe: in cælo ſe non in terra ſpes omnes „ ſuas, omneſque cogitationes reponere: præ im„ mortalitatis corona omnes coronas, omnia „ regna contemnere atque pro nihilo ducere „. Video, Auditores, in JACOBI Regis laudanda animi excelſi atque invicti magnitudine ac robore, longius quam putaram, orationem meam provectam eſſe. Spero tamen vos id mihi facile condonaturos, cum nemo inficiari poſſit humana omnia deſpicere, ac fortunæ adverſæ ictus ita excipere, ut animo ſemper ſis erectus, eam eſſe virtutem, quæ cum per ſe plu-

Digitized by Google

rimum ſplendeat, ceteris omnibus quoque virtutibus, quas habet comites & miniſtras, lumen ac lucem affert. Quapropter minime eſt mirandum, ſi multa de illa ſcripſerunt Philoſophi omnes: Sed ii verbis, JACOBUS, quod multo eſt difficilius, vitæ exemplis illam oſtendit. Neque vero reliquis minus abundavit, quas ſingulas ſi vellem recenſere, vox me citius, aut dies, quam rerum dicendarum copia deficeret. Itaque eas tantummodo perſequar, quæ cum mihi promptiores dictu ſunt, tum etiam vobis re atque experientia notiores. Nullo unquam tempore non jucunda vobis erit memoria & recordatio pietatis ac religionis, quas pure & caſte ille Dei numini tribuebat. Quam diligenter res divinas meditabatur! in precibus ac ſupplicationibus quam verſabatur attente! quam ſæpe, quam religioſe ad illud divinum epulum, quo Chriſti Corpore paſcimur, accedebat! ut etiam cum ægrotus eſſet nihil fere ex ſolita diligentia, quotidianiſque meditationibus ac precibus prætermitteret, neque unquam ſibi æque placere videretur, atque cum aliquid ex ſacris libris vel legebat ipſe, vel audiebat: hanc ſibi eſſe occupationum quietem, hunc moleſtiarum portum arbitrabatur. Cum vero Chriſti Corpus ſumebat [& poterat etiam non jejunus facta ſibi a Benedicto XIV. raro exemplo poteſtate, propter ſummam ſtomachi, qua conflictabatur, imbecillitatem] tanto gaudio compleri, affici, per-
fundi

ſundi oſtendebat, quantum in animis hominum ſecundiſſimi rerum humanarum eventus nunquam excitarunt. Noverat profecto JACOBUS ad duas res homines ab immortali Deo factos eſſe ad intelligendum, & ad agendum; eoſque ſolos ſapientes eſſe qui Deum ſibi ante oculos ſtatuunt, unde proficiſcantur, & quo demum perveniant omnes cognitiones, actioneſque ſuæ. Hac duce ſapientia, nihil aliud is in vita egiſſe viſus eſt, niſi ut intelligeret quid Chriſtianum Principem deceret, idque re ipſa pro virili parte præſtaret. Deſinant igitur homines mirari caſtam mentem, pietatem, pudorem, religionem in omni loco atque in omni fortuna perpetuas illi comites ſociaſque fuiſſe; nihil ſibi illum unquam conceſſiſſe, quod vel tranſverſum unguem ab honeſto & decoro diſcederet; imperare ſibi potuiſſe, longe maximum pulcherrimumque regnum exiſtimaſſe; modeſtia, comitate, humanitateque fuiſſe tanta, ut quo magis dignitate ac virtutibus vel ſummos homines ſuperabat, eo magis vel infimis exæquare ſe velle videretur; aliis putaſſe ſe ſe natum plus quam ſibi, inhexauſtam in eo ſemper fuiſſe recte collocandorum beneficiorum cupiditatem, nec ullis unquam terminis eximiam illius erga homines charitatem circumſcriptam fuiſſe. Par erat autem, Auditores, ut qua pietate JACOBUS in Deum fuit, eadem quoque eſſet in Romanum Pontificem, qui Dei perſonam in

terris ſuſtinet , in quo quidem ille cumulatiſſime officio ſuo ſatisfecit. Meminerat enim eo ſe Patre genitum, qui ut Apoſtolicæ Sedis auctoritatem ſanctam & inviolatam præſtaret, nullum ſibi recuſandum laborem , nullum detrectandum periculum putaverat : memoria repetebat Heroas alios qui in colenda propugnandaque Pontificia dignitate maxime excelluerunt, atque ad horum gloriam non modo exæquandam , ſed etiam , ſi fieri poſſet , ſuperandam inflammabatur. Quare cauſſam videtis, cur tantis beneficiis, atque honoribus a Summis Pontificibus, quinquaginta, quibus Romæ commoratus eſt, annis affectus fuerit, ut nihil niſi ejus ornamenta atque commoda cogitare viderentur. Quam vero bene de ſe meritis gratum ſemper ſe præbuit! Viderunt multi illum lacrymantem in recordatione ac memoria benefactorum: omnia ſumma illius ſemper conſtiterunt officia non modo in Romanos Pontifices , ſed etiam in Galliarum, Hiſpaniarumque Reges, ceteroſque omnes a quibus ſe aliquid aliquando adjumenti accepiſſe meminerat: quos non eſt mirum fuiſſe permultos, quod regale nomen magnum, ac ſanctum nuſquam non habeatur, quodque facile nos miſereat afflictæ fortunæ eorum , in quibus ornamenta virtutum lucent. Quo animo ſemper fuit in Britannos, Scotos, reliquoſque, quos habuit amicos, ſtudioſos, amantes, obſervantes ſui! Hos

ullo

ullo nunquam tempore non excepit , corruere non ſivit, fulſit, & ſuſtinuit re, fortuna, fide; hodieque ſuſtinet, cum reliquerit Filios fidei, liberalitatiſque ſuæ heredes & miniſtros . Age vero, quæ temperantia in illo! Plurimi ſemper cum eo diſcumbebant ; & quamvis ſic inſtrueretur convivium , ut nihil ad regium apparatum deeſſet, in magna tamen rerum copia tantum ipſe cibi ac potionis adhibebat, ut vix ſatis eſſe ad reficiendas vires videretur. Quid dicam de ejus in domeſticos benevolentia ac vigilantia, de diligentia in educandis liberis, omnibuſque Chriſtianis virtutibus inſtruendis ? Hoc unum , in omnes ſemper partes munera optimi patrisfamilias illum expleviſſe . Sic vitam JACOBUS ad certam rationis normam dirigens, & diligentiſſime perpendens momenta officiorum omnium , efficiebatur in eo quidam actionum concentus , ut nihil diſcreparet , & mirifice in omnium animos influeret. Jure igitur ac merito beatos vos ducebatis, quod veſtra ille Urbe uſus ſit tanquam portu, ac perfugio ejus miſeræ , ac jactatæ fortunæ ; Eodemque perpetuo frui optabatis . Sed nihil in terris ſtabile ac firmum eſſe poteſt; ac debebatur laudabiliter ejus actæ vitæ illa immortalitatis ac juſtitiæ corona, quam promiſit Deus diligentibus ſe. Sed antequam JACOBUM beatis in Cæli ſedibus contemplemur, animum parumper convertite,

Digitized by Google

tite, Auditores, ad lectum, in quo æger, mortemque exſpectans quinquennium ferme conſumpſit. Intelligetis vim diuturnitatemque morbi ea patientia conſtantiaque toleraſſe, qua alia adverſa omnia ſolitus fuit perferre; admirari ſatis non poteritis viri conſtantiſſimi pectus incredibili quadam fortitudine fuiſſe armatum ac munitum (videbat enim multa ſe ante factis ſibi peperiſſe, & habere in animo atque virtute, quæ nullo modo poſſet amittere) ut ſine ulla prorſus aut vultus aut mentis perturbatione mortis aſpectum ſuſtinuerit, planeque oſtenderit, eam a ſe, ut S. Paulli verbis utar, in lucro poni. Quoniam igitur ille tot & tam præclara nobis reliquit conſtantiæ & fortitudinis exempla, turpe profecto eſſet, ſi ſic mortem ejus doleremus, ut aliqua mollis & abjecti animi ſigna apparerent; quin potius illi de ſuo ſtatu gratulari debemus, cum nobis nihil exploratum magis eſſe debeat, omnibus qui tam religioſe chriſtianeque vixerint, ut ille a prima ætate ad extremum uſque diem vixit, certum ac definitum eſſe in cælo locum, ubi ſempiterno ævo jucundiſſima puriſſimaque voluptate perfruantur.

En domicilium, en patria, en regnum, cujus deſiderio æſtuabat Jacobus, cujuſque potiundi ſpes ejus fortitudinem conſtantiamque excitabat, alebat, confirmabat. Habeant ſibi homines honores, ſibi imperia, ſibi provincias, ſibi triumphos, læte-

Digitized by Google

lætetur JACOBUS felicem illum illuxiſſe diem, quo omnis exſpectatio diuturni deſiderii ſui expleta eſt; gaudeat ſicuti olim ſocius fuit calamitatum periculorumque Parentum ſuorum, eorum modo felicitatis factum eſſe conſortem. Te vero, Deus, miſereat illorum Regnorum, quorum ſalus tanti fuit JACOBO, ut non ſemel pro ea vitæ periculum adire non dubitaverit: depelle errores, diſſipa tenebras, in quibus miſere verſantur, ut tuo ducta lumine tandem aliquando rectam in viam redeant. Si te non movent mea vota, moveant vota JACOBI, aliorumque piorum Regum, quos ad illa gubernanda vocaſti, moveant preces Paſtorum, qui ſancte rexerunt quondam florentiſſimam Anglicanam Eccleſiam, quibus profecto curæ eſſe debet, ut priſtinam faciem, dignitatemque recuperet. Tuque, Magne Gregori, cui ſingularis laus debetur, quod ab impietate ad cultum veri Dei Britannos traduxeris, aliorum vocibus tuas quoque adjunge, neque precandi finem facies, donec illis iterum aperiatur introitus in æternum Regnum Domini noſtri, & Salvatoris JESU CHRISTI.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dominicus Jordani Archiep. Nicomediæ Viceſg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

85

Digitized by Google

Digitized by Google